



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Coloniensi Archiepiscopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

bueras commississe. Sanè cum neque qui plantat, neque qui rigat, sit aliquid, & non nisi qui legitime certaverit coronetur, non sufficit si plantasti hæcenus & rigasti aliquandiu quod plantaras, nisi tandiu rigare studueris donec incrementum recipiat quod rigaras, & cum perseveraveris usque in finem, gloriam assequaris debitam pro labore. Debueras siquidem esse sollicitus ne pugnaret filius sine patre, ac sine te se dubio eventui bellorum committeret, qui te præsentè securus potuisset hostiles acies impugnare. Verùm etsi defecerit vel non profecerit saltem ei virtus hominum in quibus præcipuè confidebat, ille tamen eum in necessitatis articulo non reliquit qui secundum Psalmistam in opportunitatibus est adiutor. Vnde quia Dominum adiutorem habuit, non timuit, etsi relictus à suis, quid ei homo faceret inimicus. Vellemus autem ut trophæum tecum de hostibus reportasset, nec tu dedisses tuam gloriam alienis, aut in laborem tuum alius introisset, & sic fovisses filij tui partem ut patri semper devotius subjaceret. Sed fueras forsitan aliis occupatus, & privata necessitas ab ejus te subsidio revocavit, nec potueras simul intendere propriis & alterius negotia procurare, licet causam ejus reputare debueras tamquam tuam. Monemus igitur nobilitatem tuam & exhortamur attentius & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus cum Dominus factum Regis ipsius manuteneat justitia exigente, ita ut jugiter fiat se ipso robustior & de die in diem roboretur amplius regnum ejus, in prosperis non relinquas quem fovisti hæcenus in adversis, nec patiaris ut alius ponat principiis tuis finem & de labore tuo mercedis præmium assequatur. Cumque nos Regem ipsum ad recipiendam imperij coronam vocabimus, eum in forti manu & extento brachio comiteris. Taliter igitur efficias quod monemus ut de fortitudine ac constantia tua merito commenderis, nec notam alicujus levitatis incurras, & cum in stadio curreris, cursus dimidies & termines ante metam. Datum Anagninæ 11. Idus Decembris.

COLONIENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 100.

Cum finis non pugna coronet, miramur non modicum & movemur quod, sicut à multis audivimus, maculam in gloria tua ponis, dum quod fovisti hæcenus in sua promotione relinquis. Sanè cum super facto carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi diei & ætus pondus portaveris, & quem post Dominum solus creaveras manutenueris ferè solus, non tam pro nobis & Ecclesia Romana quam pro te ac Ecclesia Coloniensi dolemus quod in famæ tuæ ac ipsius utilitatis dispendium, cum proficere magis debueras, deficias, & meritum tui laboris amittis cum mercedem potueras obtinere. Scimus etenim, nec apud nos testibus ullis egesset, quod promotionis ejusdem Regis principium fueris, & quem plantaveras curaveris hæcenus irrigare. Nunc autem, qua occasione nescimus, eum videris penè penitus reliquisse, ita ut jam sine te triumphet de hostibus cum quo potueras triumphasse; ac quia Deus in sui disposi-

tionem non fallitur, te quoque sub quadam dissimulationis specie tuum ei subtrahente favorem, de die in diem magis proficiat & amplius prosperetur; cujus prosperitas, si responderent ultima tua primis, tibi fuerat imputanda. Ne igitur perdas penitus meritum & impensam, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus illum in sine non deseras quem in initio promovisti, nec des tuam gloriam alienis, aut te ipsum efficias alienum ab eo quem quoad factum imperij genuisti; sed cum eum ad recipiendam imperij coronam vocabimus, ipsum in forti manu & extento brachio comiteris. Alioquin non tam ei videris illuisse quam nobis. Ideoque, unde nostram merueras gratiam, indignationem incurres, & pœnam reciperes unde præmium expectabas, nec etiam te cadente illud ædificium rueret quod in apostolicæ sedis est fundamento firmatum. Quia sicut nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam, ita vacuabitur conatus eorum qui quod ipse construxit destruere moliantur. Datum ut supra.

ILLVSTRI REGI DANORVM.

Licet carissimus in Christo filius noster illustris Rex Otto in Romanorum Imperatorem electus serenitati tuæ sit tam amicitia quam affinitate conjunctus, nihilominus tamen auxilium quod inter suæ promotionis primitias ei potenter & viriliter impendisti nobis reputamus impensum, & ad honorem tuum propter hoc specialiter intendimus & profectum. Nam quamvis ad favorem ipsius duplex, affinitatis videlicet & amicitia, ratio te inducat, ut tamen triplex funiculus non rumpatur, devotio- nis sinceritas, quam ad nos & Romanam Ecclesiam habere te credimus, prædictis accedens ei confert amplius firmamentum, cum sine conscientia læsione ac famæ dispendio favere valeas cui favemus. Super hoc igitur magnificentiam tuam prosequentes actionibus gratiarum, monemus & exhortamur in Domino quatenus de die in diem in ejusdem Regis dilectione proficias, & tam potenter & efficaciter foveas & promoveas partem ejus ut auxilio tuo & favore suffultus in brevi possit imperij monarchiam obtinere, sciturus quod reputabimus nobis ipsis impensum quicquid honoris & gratiæ ipsi duxeris impendendum. Datum ut supra.

Epist. 101.

SVPPANIS BOEMIAE.

Devotionem vestram in Domino commendamus quod, sicut veridica multorum relatione competimus, venerabilem fratrem nostrum Prænestinum Episcopum apostolicæ sedis Legatum ob reverentiam Dei & nostram humiliter recepistis & curastis honorificè tractare, ita quod ad commonitionem ejus, relictis uxoribus & filiis vestris, in forti manu & brachio extento cum Domino vestro Boemiam exeuntes, carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo potenter & viriliter assististis, in accessu autem vestro ei plurimum honoris accessit, cum congressum ejus ipsius fugerit inimicus, nec

Epist. 102.